

X

H

plet

fuir d'oues de

um

pur un

guernum alle

ut in ore eorum om

ni

um

nia ut uocum sanctificationis su

ou

Recht im Ab

10

U. g. 17, 9



IN NOMINE JESU!
Dissertatio Philosophica,

DE

HIBERNACULIS

HIRUNDINUM

Quam

Consensu incluti Ordinis Sophici
in Almâ Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI

DN. M. JACOBI THOMASII,

Philippææ Dialectices Professoris celeberrimi, Col-
legii Principum Minoris Collegiati Dignissimi, Præceptoris & Patroni
sui ætatem devenerandi,

Publicæ ventilationi subicit

CHRISTIANUS SCHMIDICHEN,


Sittâ-Lusatius

MAGISTERII Candidatus,
A. & R.

ad diem 4. Decembris

ANNO

Partæ Salutis
M. DC. LVIII.



LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.

IN NOMINE JESU
Dissertatio Philosophica
DE
HIBERNACULIS


HIERONYMI

Consule in hoc Ordine Socratico

in Anno 1708

EXTERIORUM
D. N. M. JACOBI THOMASII

CHRISTIANI



§. I.

Subtrahi per hibernos menses conspectui nostro *hirundines*, etiam pueri sciunt; quò abeant, quæ item abeundi, commorandi, redeundi illis sit ratio, non perinde notum est. Quare facere nos rem *Propositio.* his temporibus non incongruam arbitrati sumus, si in earum *hibernacula* inquireremus; ac præterea utilem ad alia studiorum genera, quòd ex illâ commemoratione extrui posse videremus pulcherrimas commonefactiones plusculas. Et ita dissertationis hujus dux se nobis partes sponte obtulerunt: *Theoretica* una, & ea quidem *Physicæ Speculationis*; *Partitio.* altera *Practica*, quæ prioris usum in varias diffundet disciplinas alias.

§. 2. Operæ verò pretium est, sub unum conspectum ponere *Scriptores* statim præcipuos auctorum, quibus in hoc negotio usi sumus, locos, *de hoc ar-* ne eosdem citare sæpius cogamur. Inspecti sunt nobis *Hesiodus* *gumento.* lib. II. *Æg.* v. 186. & ibi *Riccus*; *Aristot.* VIII. *Hist. animal.* 12. & 16. & I. *Nicom.* 7. ibiq; *Eustratius*; *Plinius* II. *Hist. mund.* 47. & X. 24. & XVIII. 26. *Ælianus* I. *de nat. animal.* 52. *Martialis* V. *Epigr.* 68. & ibi *Raderus* fol. 415. 416. *Claudianus* I. in *Eutrop.* v. 117. 118. & ibi *Barthius* p. 1296. seqq. ed. recentiss. *Isidorus* XII. *orig.* fol. 308. ed. *Vulcan.* *Georgius Pisides* *Κορυμφ.* v. 1295. seqq. *Barthol. Anglic.* XII. *de propriet. rer.* c. 21. *Alciatus* *Emblem.* 100. & ibi *Minos.* *Lutherus* in c. 1. *Gen.* f. 12. & *Eischt.* c. 49. f. 365. *Mich. Neander* part. 1. *Phys.* p. 432. & in *Patrum sententiis catechesi græcol. adjectis* p. 241. & *Theol. Christianæ* p. 700. (eadem his tribus locis iisdem verbis memorans:) *Olaus Magnus* *de gentib. Septentr.* lib. XIX. c. *de Hirundinibus* p. 385. *Gasp. Heldelinus* in *Encom. Ciconiæ* p. 103. 104. *Pierius* lib. XXII. *Hierogl.* c. *de Hirundine.* *Franzius* parte II. *Hist. animal.* c. 21. *Hier. Elverus* c. 76. *De ambul. Vern.* p. 141. 142. *Bodi-*

nus Theat. Nat. p. 363. 364. 365. Gerhardus Tom. VIII. loc. Theolog. tract. de Resurrect. n. 32. p. 1067. Henr. Ranzovius Calendar. sub Martio p. 44. Schvvenckfelt Theriotroph. Siles. p. 286. 287. Heidfeld. Sphing. c. 6. p. 161. edit. A. 1631. Martin. Zeill. Cent. II. Epist. 82. Job. Henr. Ursinus Analect. sacr. lib. III. c. 6. seqq.

PARS THEORETICA.

Hirundi-
des quando
discedant?
§. 3. Initio videndum est de tempore, quò discedere incipiunt hirundines. Aristoteles, generatim de avibus frigora fugientibus sic pronunciat: *Post autumnale æquinoctium ex Ponto, locisque frigidis fugiunt hyemem futuram; post vernum autem ab æstivis metu æstium redeunt in frigida.*

§. 4. Hoc ipsum speciatim ad hirundines quoque pertinere, nemo ignorat. Itaque jam *autumno*, jam *post æstatis ac Muscarum interitum*, jam *sub æquinoctium autumnale* ait eas abire, Bodinus: *æquinoctii autumnalis tempore* Raderus; *post principium autumnum* Olauus; *Arcturo oriente* Plinius; idem alibi *hibernis mensibus*; *adveniente hyeme* Minos. Si *Mensem ipsum* audire placet, *Augustum* nominat Ranzovius; Schvvenckfeld *Septembrem*. Hoc quidem anno eas d. 13. & 14. Septemb. apud nos evanuisse, observatum est.

Quare?
§. 5. Ex hac temporis notatione facile causam æstimare licet discessionis. Fugiunt enim inimicum sibi anni tempus. In Naturæ consilium eleganter inquirat Bodinus his verbis: *Cum hominum alimentis omnino inutiles sint, nec cibum hyeme reperire, nec avium rapacium cibo inservire queant, (omnes enim incredibili celeritate prætervolant) post æstatis ac muscarum interitum, officio, quod illis à Conditoris præscriptum erat, persuncte, ne post æquinoctium autumnale flantibus Coris intereant, ad oras maritimas gregatim feruntur. Et postea: Ob id hirundines sub æquinoctium autumnale discedunt, ne spirantibus Coris, qui sole Scorpionem subeunte flare incipiunt, ab imbribus frigidis pereant, id enim certissimam experientiam cognitum est, nec ulla vivens comperta.*

Quo?
§. 6. Difficilior est quæstio quò discedant? Distingvit hic Aristoteles. *Eas enim quæ propè absunt à tepidioribus locis, eò transvolant; quæ procul, in latebras se abdere: οἱ μὲν πλησίον ὄντες (τῶν ὀρεῶν) θύσσονται, ἐν οἷς αἰεὶ ἀλαμύσσουσι, οἱ ἰκτῖνοι καὶ χελιδόνες; ἀπὸ χωρῶν ἐξ ἑαυτῶν, οἱ δὲ πορρωτέρω ὄντες τῶν τοιούτων ἐκ ἐκτοπιζοῦσι, ἀλλὰ κρύπτουσι ἑαυτοὺς.*

§. 7. Se-

§. 7. Sequitur statim: ἤδη γὰρ αἰμμένα εἰσὶ πολλὰ χελιδόνες ἐν ἀγγαῖσι ἐψι-
λωμένα πάντων. Vertit Gaza: Jam enim visa sunt multa hirundines in
angustis convallium nude atq; omnino deplumes. Ἀγγαῖα exposuit angu-
stias convallium, quod & Hadr. Junius in Lexico observat. Sed for-
tasse legit ἀγκῖα, quod Casaubonus etiam mavult: ἀγκῖα enim
wallis est. Quod autem ἐψιλωμένας pluribus verbis nudas atq; deplu-
mes interpretatus est, vix dubium quin è Plinio stylum mutuatus
fuerit.

§. 8. Sicuti Plinium credas ex Aristotele prompsisse. Sed di- cum Pl. nō
stinctè Aristoteles, alias in loca tepida, si vicina sint, peregrinari, cœ- no collatus.
teras occultari. Confusa hæc sunt apud Plinium: *Abeunt & hiru-*
dines hybernis mensibus. Sed in vicina abeunt, apricos secuta montium
recessus, inventæq; jam ibi sunt nude deplumes. Similis confusio in
his Schvvenckfeldii: *Ad Arcturi ortum in loca vicina tepidiora sece-*
dunt, & in angustis montium recessibus se condunt. Rectius Elverus at-
que Franzius, qui hæc cum Aristotele distinguunt. In locum Plinii
infra §. 20. plurâ inquiremus.

§. 9. Omnino ad hirundines applicanda pulcherrima Philoso-
phi similitudo: *ut hominum alii domicilia hyeme mutant,* (τὰς οἰκίας τῆ
χειμῶν μεταβάλλουσιν, minùs rectè Gaza: *Domicilia hyeme repetunt,*)
alii, qui ampliores provincias tenent, æstatem quidem in frigidioribus,
hyemem in tepidioribus agunt: sic & brutorum, quæ mutare sedes pos-
sunt, alia in ipsis consuetis regionibus subsidia inveniunt, alia abeunt
peregrè.

§. 10. Abeunt ergò quædam hirundines in terras calidas, nem- alia in ter-
pe ex illis regionibus, unde non plurimum itineris sit conficien- ras calidas
dum. Nam in Epigrammate Archæ lib. I. Anthol. c. 87. *ἡς φιλο- avolant.*
τοργίου, ubi hirundo

εἰς αὐτὴν ὅλην νήσῳ διηπλωμένην
totam terram atque insulas volando pervagata proponitur, poëticam
hyberbolen nemo non videt. Maria tamen eam transvolare Isido-
rus & Bartholomæus Anglicus scribunt.

§. 11. Nec videtur Jeremias c. 8. v. 7. aliud indicare, *judicio pl.*
Rev. Ursini, cum hirundinem inter eas recensuit aves, quas longin-
qua petere extra dubietatis aleam est. Nec diversam ob cau-
sam ἐξῆναι, c. hospes vel peregrina audit in epigrammate ἐδηλῶ, quod
est

est ultimum c. 60. lib. 1. Anthol. quàm quia terras terris mutare dicit.

§. 12. Anacreon ad Nilum vel Memphin hybernare facit hirundinem his versiculis, εἰς χελιδόνα :

χειρῶν δ' εἰς ἄφαιτος
ἢ Νείλου ἢ πρὸ μέμφου

Quò pertinet, quòd nonnulli in Africam convolare putant apud Brodaum ad l. c. Anthol. fol. m. 126. nisi quòd hæc de aliis, quàm nostrarum regionum hirundinibus interpretanda veniunt. Quomodo & Radero fides constet, qui eas auctoritate Plinii ex Africâ mare transeuntes appetente vere ad nos advolare tradit.

§. 13. Fuit ante annos viginti (Ursino adnotante) qui edito commentariolo seriò visus est affirmare, *Hirundines avolare in Indiam*, argumento lepidæ Historiæ, quæ sic habet: Monachus quidam in cellâ suâ hospitem habebat hirundinem per aliquot annos. Cùm sub hiemem semper avolaret, incidit ei cogitatio, explorare ne posset, quo se interim deportaret? Schedulam captæ pedi affixit, in quâ scripserat: *Ubi hyemasti?* Redux aliam proximo vere retulit, in quâ hæc legebantur: *In Indiâ in domo Satoris*. Rem ita gestam deserabat testis ἐκ Διὸς δέδωκεν.

alie occul-
tantur.

§. 14. Sed nostras hirundines, h. e. qui in Germaniâ & vicinis locis sunt, ad Indos volare, credat, cui libitum est. Latibula eas quærere, in quibus quasi moruæ hyemem totam transigant, tot testimoniis compertum est, ut hiscere contrâ non liceat. Atque de his exaudiendus Heidsfeldius & apud Heldelinum innominatus auctor, qui sub hyemem avolare hirundines (in calidas regiones) negant. Eustratius latibulum earum in genere παραβύθιον ὑποκείμενον vocat.

§. 15. Fallitur Bodinus, qui omnibus istis, etiam quæ in Galliâ sunt, unicum per fugium sub rupibus Mari Baltico, imminentibus dare videtur. Nam & multa sunt latibulorum genera, nec probabile est, Gallicas præsertim hirundines, cùm domi latere possint, tantum iter suscipere.

§. 16. Possumus dare auctores idoneos, qui eas in nidis suis, in cavernis ædium, turrium, arborum, montium, vallium, petrarum, quin littorum quoque, & quod mireris, ipso aquarum fundo, hibernare adstruant.

§. 17. In

§. 17. In nidis inquam, aut certè intrà ædificia restitant quædam. *In nidis suis:*
 Georgius Major teste B. Gerhardo refert, se Witebergæ in templo *aut domus-*
 arcis sub vetustâ quâdam tabulâ (Franzius habet, *in nidis*) tempore *bis.*
 hyemis conglobatam hirundinum congeriem invenisse. Apud Ne-
 andrum D. Huckel Spiræ in ædibus Soceri Walsburgii narratur, re-
 perisse ingentem hirundinum globum. Anonymus apud Heldeli-
 num: *comperi, inquit, latere hyeme Hirundines in nido suo tanquam*
mortuas. In nidis etiam Riccius, Elverus, Heidfeldius relinquunt, in
 turrium foraminibus Urfinus.

§. 18. Singulare quid Martialis narrat, abeuntibus cæteris in
 nido unicam remansisse: sed eandem postea altero vere à redeun-
 tibus malè exceptam periisse.

*Hibernospeterent solito cum more recessus
 Atthides, in nidis una remansit avis.
 De prendere nefas ad tempora verna reverse,
 Et profugam volucres diripere sua.
 Serò dedit pœnas: discerpi noxia mater
 Debuerat, sed tunc, cum laceravit Ityne.*

§. 19. Aliæ in cavis arborum occultantur. Claudianus:

Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
 Pisides oppidò eleganter:

*Καὶ δένδρον ἐν γένῳ οἰκίαν τεχνάζεται
 Καὶ σπαργαίεται συντεθῆσα τῷ ξύλῳ.*

*In cavis
 arborum*

Albertus, Elvero citatus, observavit, quòd hirundines brumali tem-
 pore in plantis quibusdam concavis se abdiderint, atq; hoc dicit
 accidisse in superioris Germaniæ quâdam sylvâ, ubi incisa quercus
 putrida inventa sit plena hirundinibus. Similia apud Raderum fide
 Augustini Niphi, Franzium, Heldelinum, Ranzovium legas.

§. 20. De angustiis convallium locum Philosophi supra §. 8. ex- *vallium;*
 hibuius. Quem si respexit, ut credibile est, Plinius, cur *τὰ ἀγκύια*
 apricos montium recessus reddiderit, ignoramus: Chiffletianus (*Plinii lo-*
 apud Dalechampiû codex pro *apricos* habet *Africo*. Quod de ven- *cus excuti-*
 to exponendum videatur. Sed is apud Aristotelem nullus hoc lo- *tur.*)
 co. *Apertos, vel opertos* recessus si legamus, facile cum eo Plinium re-
 ducemus in gratiam. Sic enim vallium cava intelligere licebit.

§. 21. Et quis credat, hâc anni tempestate aprica sectari hiru-
 dinem,

dinem, & non potiùs ab aspectu cœli defensos locos? Quales profectò sunt omnes illi, in quibus eam occultare se exploratum est. *Montium;* Etè Franzius, alia Plinii verba dum sua facit, hoc omittit: *Quædam* inquit, *in montes aliquos propinquos recedant & latent, reperiunturq; implumes & nude in petris & angustiis convallium.* Nam in altis montibus abdere se avem nostram, etiam Ranzovio credimus. Sed hîc non aprica nominare oportet, verùm cum Ursino *foramina montium.* Qui & huc accommodat illud Gregorii Nazianzeni Carm. de vitæ vanit. ab se versum:

*O si pura Columba forem, si tristis hirundo!
Tot varia infida fugerem discrimina lucis
Atq; inter cava quadrupedum, nemorosa ferarum,
Hoc avi colerem, quodcunq; est.*

Petrarum; §. 22. *Quædam* ait Franzius, sese occultant in locis saxosis. Bodinus ad oras maritimas gregatim ferri: ac sub altissimis rupibus ac promontoriis mari imminentibus delitescere asserit. Maris enim Baltici piscatores & accolæ cum succinum sub rupibus legerent, hirundinum *Littorum;* cumulos deprehendisse. Sub littoribus abscondi, apud Neandrum legas; in fluminum ripis apud Elverum.

In aquis; §. 23. In ipsam aquæ profunditatem demitti quædam, miraculi speciem habet. Quare & Neander & Barthius admodum dubitanter hoc commemorant, Bodinus autem planè fieri posse negat. Sed hujus ratio postea examinabitur. Hîc tantum cumulabimus experientias. Quibus tam multis, tam proborum hominum, tam accuratè circumstantias addentibus, contradicere temerarium sit.

§. 24. Ac primò Bodinus ipse & Neander atq; Barthius prodeant, & quid audiverint, aperiant nobis: *Fuere nonnulli qui renunciârunt, Hirundines fundû ipsam maris petere, atq; illic obdormire.* Bodinus. *Alii exempla etiam recitant, quod in globos collecta in profundum aquarum se dejiciant, aut sub littoribus abscondant mortuæ usq; ad tempus verum, quo reviviscant denudò.* Ac pueri etiamnum audivimus recitari, ut verum ac omninò certum, piscatoribus compertum, ac singulis annis observatum, quod in autumno propè oppidum Beske, in finibus *Marchie situm, quod olim paruit Dominis Soraviensibus, Baronibus à Biberstein, in stagnum quoddam profundum se dimittant conglomeratæ ex arboribus delapsæ, quæ ad stagnum illud excreverunt. Ac inde extrahantur*

bantur sæpè tempore hyberno in magno numero à Piscatoribus, sed in-
vitis, ut qui magno studio declinent eum locum, ubi cubare solent, pro-
pterea, quòd ibi pisces sint nulli, nec ulli ibidem cupiantur: resurgant au-
tem inde ac prodeant tempore verno, non gregatim, sed sigillatim una post
aliam. Atq; hæc sic quidem referebantur passim. Ac nuper admodum vi-
rum senem audivimus, qui eadem nobis de eodem stagno, ut verum, com-
memorabat, Neander. A nostrorum hominum nonnullis narrari me-
mini, formas induere nescio quales Pisculorum, ita in ripis fluminum
usq; ad spirantem Favonium delitescere: Eo ver revehente sensim rursus
implumescere, & avium se choro velut postliminio restituere. Alii flu-
mina quidem subire persuasum habent, sed in iis tuberculi quodam vela-
mine obvelatas latere, uligine obrutas, & in latebras ripestras correperò
quàm profundissimas, Barthius.

§. 25. His jam accedant testes alii. Lutherus: Hoc miraculum
de hirundinibus usu notum est, quòd hirundines in aquis per hyemem
mortue jacent, & sub æstatem reviviscunt. Franzius: Quædam circa
maria se submergunt. Olaus Magnus. In Septentrionalibus aquis sæ-
pius casu piscatoris extrahuntur hirundines in modum conglomerate
massæ: quæ ore ad os, & alâ ad alam & pede ad pedem post principium
autumni sese inter cannas descensuræ colligarunt. Notatum est, eas eo
tempore suavissimo completo cantu taliter descendere. Schvvenckfelt,
cùm Olaus citasset, Idem, inquit, Piscatores in Borussia observarunt,
extrahentes hirundinum copiam. Similia de hirundinibus in Polonia
ex Hermete Politico Julii Belli profert Zeillerus. Ranzovius: Nostræ
Piscatores sæpius per hyemem retibus extrahunt hirundines in globum
complicatas, quarum singula gramen in rostro tenent.

§. 26. Sed cùm varia sint hirundinum genera (memorantur *An omnia*
enim domestica, agrestes, riparia & muraria) quæri potest, omnibus-
omnibus la-
ne quælibet latibula, an certa certis conveniant? Evidem eandem *tibula com-*
ferè esse omnium naturam tum accessu, tum discessu Bodinus as-
serit. Sed ab eo jam §. 15. dissensimus, unicum tantum universo hi-
rundinum generi perfugium concedente. Unde locus relinquatur
disquisitioni ulteriori.

§. 27. Enim verò quotquot in ipsis domibus hibernare depre-
henduntur, domesticas aut agrestes esse vix dubitem: solas, haud fa-
cilè dixerim. Sic & Murarias in cavernis murorum aut scopulo-
rum;

B

rum;



rum; riparias in ripis aut aquis libentissimè occultari, probabile est. De ripariâ disertè Schvven ckfelt: *Hyberno tempore in ripis latet fluminum, lacuum, paludum, & in littoribus ac scopulis maris. Unde accidit, ut piscatores interdum ita inter se junctas ex aquis extrahant.* An autem omnes, quæ ex aquis extrahuntur, ripariæ sint, optimè expediant *ἀπολίται*. Tacent hâc de re ii, quos consulimus, scriptores: nos *ἐπιχομεν*.

quales sint in latibulis? §. 28. Proximum est ut videamus, quales degant in illis latibulis. *Mutuis complexibus coherentes* Bodinus facit. Pifidæ hoc est *συσέκκεσται*. Concinnunt magno numero scriptores alii, quos hætenus descripsimus, è quibus præcipuè conglobandi modum Olaus expressit.

obvelata; §. 29. Non dubium, hâc constipatione hirundinum id quæri à naturâ, ut eò meliùs à frigore muniantur. Quare & de velamine illis prospectum est. Vide locum Barthii supra §. 24. Et Heldelinus eas, quæ in cavas se ad mare stipites condunt, *foliis aridis, muscoq; obrectas* latere scribit.

an ova secum habeant? §. 30. Nec tamen omnes conglobantur. Sunt enim excipiendæ eæ, quæ §. 17. & 18. in nidis remanere testatum fecimus. Et ad has illud item pertineat, quod anonymus apud Heldelinum narrat: *Totam hyemem habent secum recentia ova.* Cujus tamen rei fides sit apud auctorem.

quedam deplumes; §. 31. Porro in convallibus deplumes quasdam hirundines repertas esse, scribit Aristoteles. Sed Bodinus in eo falli eum ait, si hoc modo vivere putaverit. Nimirum hæc tales pro mortuis habentur à Bodino, quæ spirantibus Coris perierint ab imbribus frigidis. Putes etiam à ratione postulari, ne avis, quæ per hyemem servanda sit, plumis exuatur. Jam & illæ, quæ apud Neandrum in ædibus repertæ, quæ item apud Olaum aquis extractæ sunt, delatæ in vaporarium, non revixerunt modò, sed & volare cœperunt: ut certum sit, deplumes non fuisse.

§. 32. Statuamus ergò, non omnes certè pennis nudari. Neque tamen satis causæ est, cur quasdam, quæ redire debeant, deplumari negemus. Nam & cuculum Neander affirmat, hiberno tempore in cavâ salicis arbore nudum reperiri, ac reviviscere ad motum fornaci: Turturem quoq; pennas amittere, Plinius autor est: & de hirundine

dine in plumi, præter Aristotelem, testes habemus alios. Omitto Plinium. Claudianus:

--- gelidis plumâ labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis Hirundo.

Pisides: καὶ τὴν πλεονὴν ἐκδιδοῦσεται σκέπην.

Ursinus: *Hirundines renatis plumis & pennis redeunt vocales.* Et hoc videtur opinionem quorundam adjuviffe, qui crederent, hirundines in nescio quod pisciculorum genus mutari, ut è Barthio referebamus supra.

§. 33. Peculiare est, quod Ranzovius narrat de Hirundinibus, *quedam* quas Cimbrici piscatores extrahunt, singulas gramen rostris tene- *ore gramen* re. Cujus autem generis, inquit, id gramen sit, summâ diligentiam inveni- *tenentes.* ram ipse, & per alios inquiri curabo. Non enim dubito, quin illud sit pe- *culiaris* cuiusdam efficacie ac virtutis, ipsi à naturâ indita.

§. 34. Nunc quam vitam in latibulis suis vivant hirundines, in- *vivere eas* quiritamus. Non enim mortuas esse, (si propriè loquamur,) argu- *probatur.* mento est, quòd hypocausto calido illarum, manifestas vitæ actiones edunt, ut à Majore & Neandro proditum est: ab Olao item & Ranzovio, qui addunt tamen, sic restitutas, ob immaturam acceleratio- nem non durare.

§. 35. Sanè easdem esse redeuntibus, sive cor- pus, sive animam respicias, doceri potest. De corpore Franzium au- diamus; *Aliqui sunt, qui hirundinibus rubra fila alligarunt.* Et si autem per totam hyemen non conspiciebantur istæ hirundines, tamen sub initi- um veris redibant, & habebant illud ipsum filum rubrum. Et hinc etiam de animâ rem persuadeas. Nam, si eadem corpora, etiam easdem animas referunt. Animarum enim μεταγυρισμός diu à christianè philo- sopherantibus explosus est.

§. 36. Sed & de animâ sigillatim inde probes, quia cum redeunt, veterem nidum quælibet repetit. Retinuit ergò ejus speciem in me- moriâ (memoriam illis ob hoc tribuit Claudianus, Mamertus lib. 1. de statu animæ c. 21.) Quod non esset, si novam animam afferret. Solet enim eodem memoriæ argumento probari, animal per omnem ætatem, etsi forte partes materiales sint in perpetuo fluxu, idem numero manere. Vide Zabarell. c. 13. de accret. p. 793.

§. 37. Quare & Bodinus hæc ratione inter alias premit errorem *non meri &* putan-

*alias renas-
ci.*

putantium, mori veteres hirundines, ex earum verò reliquiis pro-
gnasce quotannis novas. *Non defuerunt, inquit, qui hirundines omnes
in mari perire arbitrarentur, & ex earum cadaveribus in littus ejectis
alias renasce. Quod quia quotannis accideret, latere posset neminem.
Præterea quæ fieri posset, ut majorum domos ac nidos tot peragratis re-
gionibus repeterent, si in littoribus nascerentur? aut cur ovis exclusis
genus propagarent?* Malè idem Bodinus p. 409. hanc hirundinum
memoriam cum reminiscentiâ confundit.

*Solvuntur
duo dubia:*

§. 38. Sed de vitâ hirundinum, earum præcipuè, quæ sub aquis
degunt, duæ se offerunt dubitationes. Nam & sub eo elemento re-
spirandi facultatem intercludi necesse est: neq; ibi à frigore satis tu-
tæ videantur.

*primum,
quia forte
frigore per-
eunt:*

§. 39. Verùm salva res est. Prius de frigore dicemus. Certum est,
hanc ipsam ob causam subducere se à publico hirundines, quòd
tenerior sit earum natura, quàm quæ cœli nostri hiberni inclemen-
tiam ferre possit. Itaq; loca, ubi ferventur, convenientem habere
temporis gradum oportet. Ac talia esse cavernas ædium, petrarum,
montium, atq; similes, nemo dubitat.

*quod nega-
tur.*

§. 40. De oris maritimis Bodinus sic differit: *si in maritimis lo-
cis aliquandiu confederis, senties ea loca semper ab aestu maris tepesce-
re, atq; interdum tempestatibus incallescere: nam mare ferè semper ven-
tis agitur, agitur intumescit, ac præ calore sic fervet, ut balneum esse
putes: ex quo fit, ut proxima quæq; loca calore tepescant.* Franzius ali-
am causam affert: *cùm mare sit salsum, ideo vicina loca calefacit.*

*Secundum,
quia non re-
spirant:*

§. 41. Quod verò ad fundum aquæ attinet, quemadmodum ter-
ras, sic & aquas per hiemem in profunditate minùs frigidæ esse,
quàm in superficie, consentaneum est. Accedit jam arcta illa hiru-
dinum mutuo se confoventium glomeratio, in quâ illis ad vitalem
pro eo statu calorem tuendum dubio procul non parum præsidii est.
§. 42. Venio ad argumentum à respiratione sub undis denegatâ
ductum. Quod adeò validum ratus est Bodinus, ut ideo nunciandi-
bus, hirundines fundum maris petere, planè abrogarit fidem. *Per
naturam, ait, fieri nullo modo potest: cùm hirundini pulmones in sint, &
aquis immersæ omninò pereant. Quin etiam glires sopore sepulti, si in a-
quam mergantur, repente exiliunt.* Præsupposuit nempe, nullum ani-
mal, quod pulmones habeat, vivere posse, nisi respiret.

§. 43.

§. 43. At qui hoc falsum esse probant embryones, quos in utero quod con-
non respirare, communis assertio est: probant hystericae mulieres, *ceditur, sed*
quæ vivunt sine respiratione ad tempus: probant ecstatici: pro- *negatur*
bant pii quidam & contemplativi apud *Fromondum* lib. II. de animi. *consequen-*
c. 5. articu. 4. p. 304. *tia.*

§. 44. Nimirum dari potest in animali pulmonibus prædito sta-
tus, in quo vel ob debilem cordis calorem (quod & in hirundini-
bus nostris locum habeat) vel aliam ob causam absq; respiratione
(quam alioqui ad vitam conservandam simpliciter necessariam ef-
se, negat *Horstius* lib. II. de nat. hum. exerc. 4. q. 9. p. 393.) vivi pos-
sit. Apertè pro nobis sententiam dicit *Andr. Laurentius* lib. VIII.
hist. anat. q. 26. f. 325. *Quæ per hyemem in latibulis degunt, transpirant,*
non respirant, & post: vivunt namq; & τὰ φαινόμενα ζῶν, & mulieres
quædam sine eo thoracis motu.

§. 45. Sic enim est: non solæ hirundines, sed & alia *φαινόμενα* vi-
vere possunt, etiamsi spiritum non ducant. Nam & ciconias sub a-
quis hibernare, probatum dedit ante biennium *M. Joh. Prætorius*
Disp. de Crotalistrâ §. 4. Sed hinc non assentimur *Baptista Fulgoso*
(lib. 1. memorab. c. 6. tit. de avibus) putanti, eas sub aquis aliquo
modo spirandi viam habere. Eadem eum hypothesis, quæ & *Bodi-*
num, fefellit, vivi à talibus, nisi respirent, non posse.

§. 46. At nos probabimus, eas quoq; hirundinum, quæ extrâ
aquis latent, respirandi officium non usurpare. Qui enim hoc faci-
ant illæ, quæ in istis globis sunt intimæ? De quibus, si, quod volu-
mus, habemus, ad cæteras facillè proferemus argumentum.

§. 47. De gliribus quod assert *Bodinus*, *ὅτι αὐτὸν ἔστ' ὁ*. Ne glires
quidem respirare, hâc ratione probaverit, nisi putet, eâdem confici
posse, pisces quoq; mortuos facere, quod vivi non possunt, hoc est,
respirare.

§. 48. Vivunt ergò in latibulis suis hirundines, ne quis vel extin- *qualis sit*
gvi planè putet animas earum, vel è corporibus nescio quò avolare *earum vi-*
interim, & regressum expectare deliret. Vivunt inquam, sed similè *ta?*
cum hibernis arboribus vitam. Inest illis anima, sed justo caloris
gradu destituta sensum, motum, nutritionem & respirationem inter-
mittit, satisq; habet corpus à putredine defendere: magno divinæ
sapientiæ documento, quæ avem cibo aliisq; opportunitatibus or-
batam

B 3

batam in eum statum compingit, sub quo moriendi tamen necessitatem eludat, ac se futuræ veri reservet.

§. 49. Etenim non mors propriè, non somnus vocari debet ille status, sed torpor. Quem interim mortis vel somni vocabulis appellare (habet enim aliquid utriq; simile, sed somno plus, morte minus,) figuratè loqui volentibus fas esto. Pulchrè Barthius *veterinum morticinum* vocat: *somnum* Aldhelmus Barthio allegatus:

*Absq; cibo plures degebam marci da menses,
Sed sopor & somnus jejunia longa tulerunt.*

Qui moriendi verbo hîc utantur, passim legas. Sed hî nimirum interpretandi ex illorum phrasi, quibus hirundo est *οὐα νερεος*, ut Pisidæ, tanquam, quasi, velut mortua, ut Heidfeldio, Riccio, Heldelino.

quando redeant?
Vere:

§. 50. Videamus jam, quando redeant hirundines. Id cum vere fieri, quoniam nemo ignorat, testimonia congerere supervacaneum est. Hinc *οὐα νερεος* vocatur in *Epigr. ἀδύλα*, quod §. II. citavimus, & à Simone ap. Aristoph. f. 422. & *Enstratio ἀγγελοῦ νερεος*. Cui favet Ælianus: *χελιδὼν ἢ ὄρεσ τῆς ὄρεος τῆς ἀεὶς ὑποσημαίν τῆν ἐπιδησίαν*. Incertus apud Ranzovium:

*Tempus ver hœdus petulans & garrula hirundo
Indicat, atq; (rectius &) sinus lactis & herba virens.*

Alciatus emblemate in quatuor anni tempora: *Ad nos vere novo garrula hirundo redit*. Barthol. Anglicus ex Ambrosio: *cujus adventus indicium est veris, & testimonium instantis serenitatis æstivalis*.

(locus Philemonis expositus.)

§. 51. Neq; aliud innuit hic senarius Philemonis:

ἢ μὲν χελιδὼν τὸ θέρος, ἢ γύναξ, λαλεῖ (al. λέγει.)

Et autor ad Herenn. lib. I V. p. 39. *Hirundines æstivo tempore præsto sunt*. Ubi æstatis vocabulo etiam ver comprehenditur. Nam veteres annum, veris atqve autumnii mentione omisâ, in hyemem modò & æstatem dividebant. Vid. Ludov. de la Cerda ad I. Georg. v. 291. & I. Æne. v. ultim. cujus observationem hîc luculenter adjuvabimus ex Anacreonte & Pisidâ de hirundine nostrâ loquentibus.

Ille: *θέρει πλέκεις χελιδὼν, χειμῶν δ' εἰς ἄφαιθες.*

Hic: *καὶ τῷ θέρει μὲν ὡς λύρα ῥυθμίζεσθαι,
ἔταν ἢ χειμῶν εἰς βάλη, συσέλλεσθαι.*

Vides utriqve æstatem pro vere, hiemem pro autumnio usurpari. Quare fallitur *Minos*, qui Philemonis illum versum de æstate, quæ veri opponitur, intelligit. Neq; satisfacit *Simeo Bosius* animadv. ad Cic. X.



Cic. X. ad Att. Epist. 18. Philemonem inde interpretans, quia hirundines trinare non soleant initio veris, sed vere jam adulto. Sanè enim, si ver ab æstate distingvamus, ne adultum quidem ver æstas vocari debet.

§. 52. In eo ergò consensus est, hirundinem verno tempore re- *Sed alibi*
ducem fieri. At verò si de *mensè ac die* perconteris, diversa respon- *alio mense:*
deri videas. Nimirum quia non sub omni cælo pari celeritate ver-
nus tepor se profert. Itaq; apud nos tardior, quàm apud Romanos
aut Græcos hirundinum adventus celebratur.

§. 53. Hesiodo post ortum Arcturi vespertinum

Februario;

ὄψθ' ἔγγυον πρὸ αὐτοῦ ἐς ἄγρο χελιδῶν ἐς φάος ἀνδράποισ, ἔαγος ἰόν ἰσαμείνοιο.

Non multum abit Plinius: VIII. Calend. [Martii] hirundinis visu,
& postero die Arcturi ex ortu vespertino signans. Alibi: Favonium qui-
dam ad VII. Cal. Martii Chelidonian vocant, ab hirundinis viso, non-
nulli verò Ornithian- Columella XI. de rerust. c. 2. VII. Cal. Mart.
ventosa tempestas hirundo conspicitur. Sed paulò ante: X. Cal. Mar-
tii venti septentrionales [cur sic vocet, inquit Wovverius c. XI.
Polym. p. 84. emendandus in libro Columellæ, qui vitiosè citatur
XII.] qui vocantur Ornithie, per dies triginta esse solent, tum & hi-
rundo advenit. Hæc omnia consentiunt in *Februarium*. Unde Ca-
lendaria Romana adventum hirundinum huic mensi inscribunt. Et
Ovidius in fine secundi Fastorum, qui est de Februario: *Fallimur, an*
veris prænuincia venit hirundo?

§. 54. At apud nos *Martio* demùm mensè, ut habent Raderus *Martio;*
& Ranzovius, aut *Aprili*, ut Schvvenckfelt, conspiciuntur hirundi- *Aprili;*
nes. Imò in aqvilonaribus regionibus ne hi quidem menses satis
tempestivi huic avitio, ut Majum sæpè expectare oporteat. Olauum *Majo.*
audiamus: *Accidit tempore verno liberè revertentes superveniente*
horridâ hyeme cum denso casu nivium omnes pariter emori, ut nulla in-
telbis aut fluminum ripis totâ eâ æstate videantur, præter paucissimas,
tardiùs à profundioribus aquis ascendentes, aut aliunde peregrinantes,
quæ natura beneficio sobolem reparaturæ hyeme penitus in Majo solutâ
advolare cernantur.

§. 55. Quod ergò Bodinus totos sex menses latere scribit hiru-
dines sub rupibus Balticis, ab autumnali videlicet æquinoctio ad
vernū, in eo si forte Plinium sequi voluit, qui cap. 25. lib. X. seme-
stres

stres facit hirundines, meminisse debebat, de Italiae suae hirundinibus, non nostris, Plinium loqui.

etiam mu-
raria tar-
dius.

§. 56. Alias non ob climatum modò sed ipsarum hirundinum diversitatem redeundi tempora discrepant. Nam *hirundines muraria* (ex observatione Schvvenckfelti) & *maturius*, mox post D. Jacobi festivitatem, recedunt, & *tardius*, scilicet *Majo*, revertuntur.

quomodo
redeant?

§. 57. Resurgunt autem ac prodeunt è latibulis non gregatim, sed sigillatim, una post aliam, Neand. & Ranzov. Inde nimirum est, ut negari possit, unam hirundinem ver statim facere. Ubi redierunt, cantu pristinis nidis applaudere & sibi gratulari videntur mirifico, vario, & quasi articulado, ut verbis etiam quibusdam suum gaudium testari videatur vulgo, Schvvenckfelt.

quibus so-
ciis?

§. 58. Reditum hirundinum duæ res notabilem faciunt, *Chelidonia* ventus, & herba *Chelidonia*. Solet enim hic ventus, hæc herba cum hirundinibus surgere. Sed hinc commodè capiemus practicæ partis initium.

PARS PRACTICA.

USUS
GRAM-
MATI-
CUS

χελιδονίας.
χελιδόνιον.

§. 59. Hoc scilicet *Grammaticis* profuit hirundinum reditus, ut ab illis, vento atq; herbae nomen inderent. De vento χελιδονία, qui & ορνιθίας & pluralivè ορνιθίων, Plinii & Columellæ locos §. 53. dedimus.

Hirundinarium latinè vertas aut *aviarium*, quâ voce & Bodino utitur.

§. 60. Ad herbam quod attinet, eam græci χελιδόνιον, Plinius tùm alibi, tùm lib. XXV. c. 8. fœminino genere *Chelidonium* vocat, ubi duo ejus genera ponens, majorem & minorem, de ambobus ait: *Florent adventu hirundinum, discessu marcescunt*. Idem *Dioscorides* habet lib. II. c. 176. sed addit, hinc ipsi herbae nomen factum videri, conferendus cum *Theophrasto* fin. lib. VII. de plantis.

§. 61. Alii causam nominis inde arcessunt, quòd eâ herbâ oculis pullorum admotâ, visum restituant hirundines. Apertè huic etymo favet *Pisides*. Res ipsa alioqui decantata. Sed *Celsus* lib. VI. c. 6. in fine fabulam vocat: quem sequitur *Rollenhagius* c. 14. *Glaubw. Aug. n.* 14. p. 169. Suspicionem moveat *Alianus* quoq; dum lib. III. de animal. c. 25. nec nominat eam herbam, & negat, eâ unquam homines potiri potuisse, licet id vehementer concupiverint.

§. 62. Hoc interim certum, *Chelidonium* ab *Hirundine* nomen accepisse. Quare & *hirundinariâ* *Theophrasti* interpret *Gaza* vertit. At imperiti, praesertim chymista, quòd Græci nominis vim ignorent, non
che-

chelidonium, sed cœli donum appellitant. Quâ postea falsâ nominis
præstantiâ freti, ex hâc herbâ quandam quintam essentiam fieri prædi-
cant. Matthiol. ad Diosc. f. m. 629.

§. 63. Grammaticos Poëta excipiant & Rhetores. Quibus historia POETI
hirundinum ad emblemata, ænigmata, descriptiones, allusiones, CUS &
proverbia mirificè inservit. Initium ænigmatis Aldhelmi è §. 49. re- RHETO-
petatur; §. seq. versiculum etiam ex Emblemate Alciati posuimus: RICUS.
neq; hic denuò inculcare placet descriptionem Calvi, quem Clau-
dianus, §. 32. nobis citatus, de plumi comparat hirundini.

§. 64. Notissimum est proverbium: una hirundo non facit ver, A- Proverb:
ristoteli quoq; in Ethicis usurpatum, ubi definitionem Beatitudinis ^{μία χελιδὼν}
exponit. Utimur eo, quoties aliquâ copiâ & multitudine opus esse ^{ἵνα ἔσται ποιεῖν}
significamus: siquidem fieri potest, ut una quæpiam hirundo casu ma-
turius appareat, Erasim. adag. 694. Cum hoc proverbio illud Aristo-
phanis in avibus f. 422. δ' ὅσων δ' εἴκειν ἐκ ὀλίγων χελιδόνων, Scholiastes
comparat. Fortassè Comicus simul allusit ad Peloponnesiorum
nummos argenteos, qui χελιδόνες appellabantur.

§. 65. Qui appendicem dedit ad Chiliades Erasmi adag. 32. ver-
sum Aristophanis sic exprimit: opus est Zephyris & hirundine multâ:
haud dubiè ex illo Horatii verba mutuatus I. Epist. 7.

te, dulcis amice, reviset

Cum Zephyris, si concedes, & hirundine primâ.

Hirundo

Ubi ver primum significatur. Nihil frequentius, quàm ver hirundi-
nis mentione designare. Apud Aristoph. inequitibus f. 213. ^{πρὸ χελιδό-}
νῳ est, antequam ver ineat. Narraverat ibi quidã f. præc. quemadmo-
dum callido furto coquis carnes surripuerit, dum ab se excitati no-
væ hirundini videndæ intenti sunt. Agnoscitur & ibi adagionis quæ-
dam species, de quâ varii varia: quos hîc excutere non vacat. Vide-
antur interim præter Scholiasten Suidas in ^{ἑκὰς χελιδόνων}, Jo. Hartung. Dec.
II. mem. c. 5. n. 5. apud Gruter. Tom. II. Thes. crit. p. 682. Erasim.
adag. 559. Hadr. Junius adag. 621. Minos.

pro vere.

§. 66. Illud quoq; Ciceronis in Verrem scomma VII. Verr. p. 113. *Locus Ci-*
satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis sinu in
provinciam profectus esset, Veneris nomine quasisse videtur? Asconius ex
hirundinis & veris amicitia interpretandum censet: cui Pierius ad-
stipulatur in Hierogl. Fuerat enim Verri Chelidon meretricula in

C

deli-

delitiis, *Veri* scil. *Hirundo*. Sed verius est fortasse, alludi ad sinum aliquem maris, sive à Chelidonio promontorio, sive ab insulis Chelidoniis denominatum.

*Alii duo
ejusdem.*

§. 67. Alii duo loci sunt Ciceronis in Epistolis ad Att. Unus lib. IX. Epist. penult. *exspecto quidem λαλαγεύσων illam tuam*. Alter lib. X. Ep. 2. *λαλαγεύσα jam adest*. Λαλαγεύσα Hirundinis est Epitheton in epigr. *Leonide* lib. I. Anthol. c. *εις ναυήλιαν*, ubi opportunitatem navigandi pulcherrimis versiculis describit mentione factâ tum aliorum signorum, tum hirundinis reversæ. Quod faciunt & alia, quæ ibi sequuntur, Epigrammata compluscula, svaivissimo certaminis cujusdam poetici exemplo. Est enim vere tempestiva navigatio: veris autem nuncia hirundo. Credibile est, Ciceronem ab Attico monitum fuisse, ne ante adventum *λαλαγεύσης*, h. e. hirundinis, navigaret. Huic ergò respondet Cicero. Sed græca vox fœdè legitur depravata. Nos *Sim. Bosti* emendationem retinuimus, quam nec veram esse dubitamus, & ex Anthol. confirmare sumus conati.

**POLITI-
CUS.**

§. 68. Atq; hinc etiam rationem reddemus moris cujusdam apud Rhodios, nauticum videlicet populum, ut à Floro II. 7. appellantur, quibusq; adeò hirundo redux cum vere publicè lætandi causam afferret. Post hirundinis visum sinebant pueros ostiatim stipem, quasi pro hirundine, cogere, carmen quoddam cantillantes, cujus initium: *ἦλθε, ἦλθε χελιδών, καλὰς ἀέρας ἀγέρσει, καὶ καλὰς ἐνιαυτὸς*: *Venit, venit hirundo, fausti temporis omen, annorumq; bonorum*. Id vocabant *χελιδονίζειν*. Vid. *Athene* lib. VIII. f. 360. & ibi *Casaub.* c. 15. f. 628. & ex eo *Pontan.* *Bellar. Attic.* p. 791. Recius enim hîc eum morem exponit *Pontanus*, quàm in annot. ad *Prog.* 17. primæ tertii p. m. 313. ubi *χελιδονίζειν* putat esse *sub tempus vernum hirundinem invitare*. Credas eum hoc ex *Pierio* descripsisse, utriq; autem hunc errorem *Erasmus* adag. 559. prævisse, qui *ἦλθε*, sic vertit quasi scriptum foret, *ἔλθ'*.

χελιδονίζειν.

**OECO-
NOMI-
CUS.**

§. 69. Habuimus usum *Politicum*, sequitur *Oeconomicus*. Apud *Aristophanem* (*Pierio* teste) hirundo chlænam vendere, theristrum emere svadet, præteriisse quippe hyemem, adesse verò æstatē. Itaq; *vulgus hirundinum adventu gaudet, & hospitio illas libenter suscipit, & nidos illarum religiosos esse existimat*, *Ranzov.* superstitione fortasse nimiâ, de quâ *Ursinus* & *Schvvenckfelt.* *Agricolæ ex earum nidis sublimius vel depressius edificatis prognosticon capiunt, an in vallibus, an in*

monti-

montibus vel collibus, (propter imbrium incrementum vel decrementum) sint seminaturi. Imò nec bonum omen capiunt incolæ ex tellis, ubi hirundines habitare perhorrescunt, quia ea culmina casura creduntur, Olaus. Plinius quoque signum Arcturi orientis servari jubet hirundinum abitu, namque deprehensas interire.

§. 70. In *Morali doctrinâ* ambiguus hirundinû usus est. Jam enim virtutis, jam vitii simulacra in illis proponuntur. Symbolo quidem Pythagoræ infamatae sunt, qui eas vetuit habere *ὁμοεργούς* ejusdem tecti consortes. Ubi *Hieronymus* Apol. adversus Rufin. Tom. III. fol. 112. garrulos & verbosos; *Plutarchus* VIII. Symp. 7. inconstantes præcipuè & ingratos notari autumat. Abit enim nullâ relatâ gratiâ communitati hospitii. Quò & illud *auctoris ad Herenn.* lib. IV. p. 39. (non enim hoc est in *Lælio* Ciceronis, ut *Franzius* & *Elverus* citant) accommodari solet, falsos amicos hirundinibus comparantis, qui simul atque hyemem fortunæ viderint, devolent omnes. Plura de hoc Pythagoræ Symbolo quære apud *Erasm.* adag. 2. n. 21. *Pierium*, *Minos* ad Alc. p. 32. *Jac. Masen.* Spec. Imag. lib. VI. c. 8. §. 3. p. 590. *Ursinû.*

§. 71. Jam *Plutarcho* d. I. hirundo τῆ φύσει est *μισοθήρας*, ut quæ neutiq̄am cicurari se patiatur. Contrâ *Ælianus*, *φιλὰ θέρων* vocat, quia gaudeat homini esse *ὁμοεργός*, in eamque laudat, ab hominibus exerceri legem hospitalitatis *Homericam*, quòd neque ultrò venientem excludant, neque cum ipsi commodum est, discedere volentem prohibeant.

§. 72. Ad ejus laudem illud quoque proverbium spectat: *πύθξ ἕλιδόν* audi hirundinē: de quo *Suid.* in *πύθξ*, *Erasm.* adag. 3153. *Minos*, *Ursinus*. Quorum variis interpretationibus fas sit addere novam, sed huic loco convenientem. Jubemur hirundinem sciscitari. Sed quid obsecrò ea dat oraculi? Docet hoc *Artemidorus* II. *Oniroc.* 71. his verbis: *Ubi ver accesserit, prima hirundo apparet, subindicans, ut ita dixerim, singula opera aggredienda: & sanè, ubi apparuerit, nunquam vespere canit, sed mane sole emergente, eos quos viventes deprehenderit, operum admonens.*

§. 73. Hæc ille. Qui ideò somniantibus eam faustam facit, secus atque alii, qui eam mortem, luctum, tristitiam portendi asseriebant. *Nimirum* & in divinatoriis artibus interdum læti, sæpius tamen infelicis ominis (vid. *Penc.* de divin. p. m. 382.) habita est hæc avis.

ONIRO-
MANTI-
CUS.

Dionysio

nysio quidem primū arcem relinquenti, hirundines quæ in eā nidificaverant, simul avolantes reditum præmonstrarunt, Ælian. X. de animal. 34. Habere se hirundinis caput imaginari, peregrinationem significat, Pierius.

THEOLOGICUS.
Hirundo
imago Pœnitentiæ;
Resurrectionis.

§. 73. Sed abeant superstitiones! Finiemus in usu sacro. Spiritus S. exemplo hirundinis ad pœnitentiam vocat, Jerem. VIII. v. 7. *Milvus in cœlo cognovit tempus suum: Turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Resurrectionis imaginem in hirundine veneratur *Pissides:*

ἡ θρωπεύς ἰρῶν τὸν ἀέροντα μάρτυρα
λάλον θεοῦ ἐκ ταφῆς χελιδόνα.

Eadem mens *Luthero, Majori, Neandro, Gerbaro, Franzio, Elvero, Anonymo apud Heldelinum, Heidfeldio.* Atq; hæc de hybernaculis hirundinum sufficiant.

Ad Ornatiss. Dn. RESPONDENTEM.

Materies Tibi rara placet, quæ digna videri
Ingeniō potuit, SCHMIDICHIANE tuō.
Gratulor, & charam rarâ sub origine laudem
Excipere ingenium gratulor inde tuum.

Joh. Ittigius, Phil. & Med. D. Phys. P. P.

Musa tua evigilat, quo tempore dormit Hirundo,
An quia jam Zephyros spirat Apollo suos?

Gratulab.

PRÆSES.

Qvam latet hic brumæ furor indignantis Hirundo,
Non finit in latebris Te latuisse suis.
Scilicet ingenium res indagare latentes
Addecet, ut latitans indè sequatur honor.

ἀνὸς ἄγισι deprop.

*M. Val. Alberti, Colleg. Mariani
Collega.*

SOLI DEO GLORIA!

94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974



sb.

17/17



spiritu sancto et ceperunt loqui in
A d omnes et omnia que in
humani dicit deo alluere. Eton



66

IN NOMINE JESU!
Dissertatio Philosophica

DE
HIBERNACULIS
HIRUNDINUM

Quam
Consensu incluti Ordinis Sophici
in Almâ Lipsiensi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

EXCELLENTISSIMI ATQVE CLARISSIMI

DN. M. JACOBI THOMASII,

Philippæ Dialectices Professoris celeberrimi, Col-
legii Principum Minoris Collegiati Dignissimi, Præceptoris & Patroni
sui ætatem devenerandi,

Publicæ ventilationi subjicit

CHRISTIANUS SCHMIDICHEN,

Sittâ-Lusatius


MAGISTERII Candidatus,
A. & R.

ad diem 4. Decembris

ANNO

Partæ Salutis

M. DC. LVIII.



LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.